

PUNCTUM II. — *Excommunicationes latae sententiae  
Episcopis sive Ordinariis reservatae.*

788. De his ita in Constitutione *Apostolicae Sedis*: « Excommunica-  
« tioni latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere  
« declaramus:

« I. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post  
« votum solenne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec  
« non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere  
« praesumentes (55).

« II. Procurantes abortum, effectu sequuto (56).

(55) Breviter simul et egregie de hac re Comm. Reat. (n. 115.): *Ut haec excommunicatio eos* (de quibus in artic.) *teneat, necesse est, ut matrimonium huiusmodi alias valere potuisset, citra scilicet statutum Ecclesiae, quae earum personarum matrimonia interdicit, irritat, et contrahere praesumentes hac poena plectit. Bene Suarez (De Cens. disp. 11. sect. 3. n. 15.): Non oportet, ut actus in re ipsa sit validus, vel habens effectum; sed satis est, quod, quatenus fit ab operante, sit talis; nam ille est, quem ius prohibet, et punire intendit. Porro, sicut alibi idem Suarez (ibid. disp. 4. sect. 3. n. 3.), ut actio sit talis, debet esse perfecta; non est autem perfecta, quando (ut ipse ait) licet exterius attentata seu inchoata fuerit, tamen in re ipsa non solum non perficit ultimum effectum a peccatore intentum, verum etiam neque aliquid operata est, quod ad talem effectum sufficeret.*

Ergo (ut optime prosequitur Comm. Reat.) *excommunicatio non incurritur si aut 1<sup>o</sup> consensus legitimus deficit sive ex utraque parte sive ex alterutra, ut si alter simulate contraxerit, vel errore inductus, vel metu coactus; aut 2<sup>o</sup> si legitima forma deficit, veluti si sine parochio et testibus contraxerint ubi Decretum Tridentinum promulgatum est; vel demum 3<sup>o</sup> si quodvis*

*aliud obstiterit impedimentum dirimens, v. gr. si contraxerint cum consanguinea vel affini, vel socio criminis, vel infideli.* Posthabenda itaque prorsus ea sunt, quibus Avanzini (n. 35.) sanctionem hanc extendit ad matrimonia, quae alia ex causa irrita forent, prouti et Cretoni (Not. ad h. artic.) ostendit (\*).

(\*) Ecce rursus C. S. Off. quae Decreto cit. sub not. 48. declaravit hanc censuram incurri, etsi matrimonium nullum sit nendum ratione Ordinis et voti sollemnis, sed etiam propter alia impedimenta ex gr. consanguinitatis, affinitatis. Ideoque addit heic cl. d'Annibale: etiam clandestinitatis, ut in matrimonio civili.

Ad rem addit laudatus Comm. Reat., quod cum excommunicatio feriat praesumentes contrahere, ideo si uterque vel alter eorum ignorantia laboraverit seu iuris seu facti, etiam crassa et supina, excommunicatio ignorantem non tenet, etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseveraverit; prouti et Sanchez (De Matr. lib. 7. disp. 48. n. 20.) perspicue evincit.

(56) Procurantes intelliguntur, qui directe, studiose, seu de industria quidpiam quaerunt seu opere intendunt; eosque in Constit. *Effraenatam* Sixti V. ita indicatos cernimus (§. 1.): *Omnes, qui per se aut interpositas personas abortus, seu foetus immaturi eiectionem pro-*

« III. Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re  
« cooperantes » (57) (\*).

PUNCTUM III.

*Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.*

789. De hisce sic eadem Constitutio *Apostolicae Sedis*: « Excommu-  
« nicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

*curaverint percussibus, venenis, medicamentis, etc.* Et cum in eadem Constitutione (§. 7.) ab hisce ceu *principalibus* distinguantur ii, qui *ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, etc.*, palam esse debet, hosce postremos censu *procurantium* non contineri. Proinde cum Articulus solum *procurantes* feriat, excommunicatio hosce postremos non tenet.

Avanzini (n. 40.) postquam dixit, *indistincte sub censura comprehendi procurantes abortum, ideoque sive ipsa femina in se abortum procuret, sive quisquis alius, omnes in hanc censuram incidere*; subdit: *Alii de femina contrarium tenent.* Atqui etiam in Constitutionis Sixti V., et Gregorii XIV. indistincte in procurantes abortum censura ferebatur. Veruntamen notissimum est, S. Alphonsum (lib. 3. n. 395.) scripsisse: *Secunda sententia valde probabilis, et attenta ratione intrinseca probabilior, negat mulieres praegnantem excommunicationem incurrere, etc.* Et concludit: *Cum dubium sit, an haec excommunicatio lata sit etiam in praegnantem, valde probabiliter ipsae ab ea excusantur.* Et in hanc sententiam videsis convenisse Comm. Reat., Cretoni, Del Vecchio, etc.

Addit Avanzini: *In hoc articulo nulla fit distinctio inter foetum animatum vel inanimatum, atque adeo neque nos distinguere debemus.* Expediit erat

conclusisse, a censura neminem nunc excusari inanimati foetus praetextu. Nam quod Constitutio antiquam illam distinctionem quodammodo supponens moderationem Gregorii XIV. abiicere voluerit, ut ad severiores Sixti V. terminos rem revocaret, id prorsus est inverisimile. Potius ergo dicendum, in Articulo nullam eiusmodi distinctionem fieri, quia foetus inanimati hypothesis uti prorsus obsoleta habenda est.

(57) Dilucidam huius Articuli explanationem sic habes in Comm. Reat. (n. 121.): *Qui Litteras Apostolicas falsificat, incurrit excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam: qui utitur falsis, quique ei cooperatur, excommunicationem incurrunt et ipsi, sive laici sive clerici, sed soli Episcopo reservatam. Et si quis admiserit utrumque, idest si litteras falsificaverit, eisque postea usus fuerit, utraque excommunicatione irretitur.* Porro *falsas litteras accipere debemus sive immutatas sive suppositas: utentes vero, qui eas exhibent, ut effectum habere possint: demum cooperantes, qui utenti (non qui falsificanti) operam praestant.*

(\*) Adde, ex dec. S. C. C. 25. Maii 1893. reservari Episcopis excommunicationem qua plectuntur laici violantes decreta circa collectionem eleemosynarum pro Missis celebrandis, quod decretum rursus confirmatum ea sanctione est munitum. Haec decreta, quod S. C. C. 9. Sept. 1874. dedimus heic sub n. 187. in not.